

276

274

280

270

**De loco, in quo latuit Petrus post ternam abnegationem.**

Descendimus consequenter de dicto loco contra vallem,  
et ad petram quandam erectam venimus. Sub hac petra S.  
Petrus sedit flens, moerens et poenitens, quando de domo  
Caiphae post ternam negationem abscessit, et hic indulgentias  
poenae et culpae promeruit. In hoc loco dictis orationibus  
praescriptis plenarias indulgentias accepimus(††). Dominus Jesus  
in die suae resurrectionis b. Petro hic apparuit, eumque con-  
solatus est. Olim stetit pulchra et magna ecclesia hic, quae  
dicebatur ad Gallicantum, sed nunc est totaliter eruta, adeo,  
quod ejus non apparent vestigia. Sed et ipsa petra, quae  
olim erat magna et cavata, in cuius caverna S. Petrus sedit  
flens, in dies decrescit, et parva rupes nunc est, quia pere-  
grini particulas de ea descendunt et deportant. Ad latus illius  
petrae venit per canale aqua de montanis Hebron inducta  
mirabiliter in civitatem Jerusalem, de qua dicam fol. 249. A.  
B. Stat etiam ibi profunda cisterna pro aqua haurienda.  
Credo, quod quando ibi erat ecclesia, quod crypta fuerit  
caverna illius cisterne.

**De loco, in quo fuit domus Annae, primi judicis  
Domini Jesu.**

Loco illo perspecto in processu avertimus nos a valle, et  
partem montis, per quam descendimus, iterum readscendimus,  
non tamen eadem via, sed contra civitatem sanctam declina-  
vimus, inter ruinas domorum. Ad quandam autem domum  
venimus firmiter conclusam, ibique pulsantes intromissionem  
obtinuimus, et ab intus pulchram ecclesiam invenimus, in  
honore sanctorum Angelorum consecratam, unde etiam ad  
sanctos Angelos dicitur. Et circa ecclesiam erant cellulae et  
domicilia, in quibus habitant religiosi de Armenia, Christiani  
orientales, homines nigri et maturi. Haec domus tempore  
passionis erat curia Annae pontificis, ad quem primo Dominus  
Jesus fuit ductus de horto, in quo captus fuit. De hac domo  
et inductione Domini Jesu habetur clare Johann. 18., quomodo  
Annas pontifex eum despective interrogat de doctrina et

Ende

Anfang

